

satagit. Cum hi sancti doctrina sua floruerint, studio et vos sedulo incumbite, ut in arte quam profitemini saltem non erretis: cum hi charitate ferventissima presertim, ut propria infirmis distribuerint, charitate ardeant corda vestra saltem respectu pauperum: erga illos vos beneficos exhibete, iisque gratis officia vestra impendite. Cum tandem adeo pietate effuslerint, ut non minus salvandis animabus, quam corporibus curandis vacaverint, eamdem et vos colite pietatem, ut infirmos quos visitatis, ad Sacraenta suscipienda et ad salutem suam consulendum inducatis. En fructum, quem omnes medici ex hac conceione elicere possunt et debent. Ut autem omnes, qui huic adsumt concioni, aliquam ex eam utilitatem percipere valeant, velim, ut quisque advertat, quod peccata sint anime nostre infirmitates, quodque tamdiu infirmi manemus, quamdiu aliquo peccato inquinamur; et ideo, ut sanemur advocandi sunt medici spirituales, seu confessarii, qui iisdem polleant qualitatibus, quibus sancti Cosmas et Damiani floruerunt; si a spiritualibus vestris infirmitatibus sanari velitis, ad confessarios accurrite, qui scientia, charitate et pietate fulgent. Confessarius non doctus est cæcus, qui cæcos ducit et qui cum cæcis quos ducit, in foveam cadit: idecirco confessarium vocate, qui doctrina polleat. Confessarius minime charitate prædictus lucro ad agendum excitatur, vel ex negligencia remissa vestra saluti consultit; ideo charitate ardenter confessarium eligite. Confessarius non pius ad pictatis apicom alios hanc facile perducit; ergo docti simul, charitate succensi et pīi confessarii regimini conscientiam vestram dirigendam subdite; quidquid vobis salutiferum praescripserit, accurate perficie et tandem aliquando in celo cum sanctis Cosma et Damiano aeterna beatitudine perfruemini. Amen.

DE SANCTO MICHAELE ARCHANGELO

CONCIO UNICA.

Consurget Michaël princeps magnus (Daniel 12).

Sicut homines hic in terris suis habent principes, quibus subsunt et quos honorare, plurimumque venerari tenentur, ita angelii, qui in celis habitant, suos habent principes, qui sunt eminentiores Dei ministri ante solium ejus stantes et supra alios erecti; inter quos merito recensetur Archangelus Michaël, qui unus ex primis coeli principibus agnoscitur: *Michael unus de principibus primis* (Dan. 10). Non disceptabo nunc, an Michaël in celo sit Gabriele, Raphaële, allisque primis aulae celestis principibus eminentior; neque an ita sit *unus de principibus primis* ut inter primos hos principes illæ cæteros, qui secum tenent primatum, præeat. Licet enim sanctus Pantaleon martyr cum supra omnes alios evehat, illumque inter pares primum esse asserat, ac dicat, quod *Michael primum locum obtinet inter mille millia et decies mille myriades angelorum* (ap. Baron.); non tamen hoc facile scrii et probari potest. Itaque ab hac controversia abstinens, dicam solum, quod sanctus Michaël inter celestes illos spiritus sit princeps magnus; *consurget Michaël, princeps magnus* in quo autem et quomodo Michaël sit in celo princeps magnus, jam expli- camus. *Ave.*

Deus, angeli et homines supra omnia alia procul dubio emi- nent, atque inest eis aliqua magnitudo, ad quam omnia alia ac- cedere nequeunt. Deus quidem Magnus est, nullus magnitudinis ejus est finis, nihilque eo majus excogitari potest: *Deus est, quo nil majus excogitari potest* (S. Dam.). Angeli etiam mag- ni sunt in se et respectu ad alia creata, cum ipsi omnino spirituales sint, aulici Dei sint et sub Deo supra modum elevati; *angeli post Deum novimus* (Tert. de carn. Chr.). Homines

tandem magni sunt in se et respectu ad bruta animantia, cum ipsi anima rationali praediti sint, ad Dei imaginem conditi, gratiae divinae capaces et ad finem super naturalem eveniantur. Si sanctum Michaëlem inspiciamus respectu Dei, cuius magnitudo est infinita, certe constat, quod tamquam nihilum sit ante ipsum: in se tamen et ratione donorum quae a Deo accepit, magnus censendus, quia eum Deus plurimum sublimavit. Si sanctum hunc Archangelum respectu aliorum angelorum infueamur, verum est, quod illi simul cum ipso toti spirituale, Dei ministri et auxili constituantur: inter illos tamen Magnus et maximus habetur sanctus Michaël ratione presidentie, quam super illos habuit in prælio adversus luciferum et angelos ejus inito. Si tandem sanctum Michaëlem respectu hominum consideremus, illos utique natura et dotibus suis longe antecellit; et eum etiam specialiter Deus supra illos sublimavit, cum eos patrocino et protectione illius subdiderit. Dicendum ergo, quod sanctus Michaël est *princeps magnus* per Deum, inter angelos et supra homines: 1. *per Deum*, a quo sublimatur; 2. *inter angelos*, quibus præest; 3. *supra homines*, quos protegit.

I PARS.

*Sanctus Michaël est princeps magnus per Deum,
a quo sublimatur.*

Non quidem respectu Dei, at per Deum princeps magnus dicendus sanctus Michaël, quia Deus illum ita sublimavit, ut non solum hominibus, verum etiam ipsis angelis eum sublimorem et excelsiore efficerit ratione naturæ, gratiae et gloriae: 1. *ratione naturæ*, in qua illum condidit; 2. *ratione gratiae*, qua illum exornavit; 3. *ratione gloriae*, qua illum deditav.

1. Quemlibet angelum ab alio essentia et specie differre opinatur doctor Angelicus; ac proinde tota ait esse angelorum species et essentias diversas, quot sunt angeli. Haecque illius

sententia hoc fundamento nititur, quod scilicet omni distinctio numerica sumatur a materia; ideo cum angeli non constant materia, inter se numero distinguuntur nequeunt: si autem inter se numero non distinguantur, quemlibet ex illis ab alio specie et essentia differre necesse est. Quo positio fundamento, facile inferemus, sanctum Michaëlem ita natura sua esse perfectum, ut vix concepi possit, quanta sit perfectio ejus naturalis. Cujus doctrinæ quo magis pateat veritas, supponendum, maximam esse angelorum multitudinem, cum de illi dicatur, quod *millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei* (Dan. 7). Hoc autem supposito tamquam certissimo, sic ratiocinari licet: ultimus angelorum in sua natura perfectior est omnibus individuis nature humanae: penultimus, cum in essentia et perfectione ab ultimo differat, totam ultimi perfectionem continet et insuper alium aliquem perfectionis gradum possidet: antepenultimus totam penultimi et ultimi perfectionem habet et insuper alio aliquo perfectionis gradu pollet: et sic ascendendo usque ad primum angelorum, semper major habetur perfectio naturalis eorum. Quanta ergo censenda perfectio illius angelii, qui natura sua omnium primus pene innumeros angelos semper magis et magis perfectos antecedit? Certe tantum ille assequitur perfectionem naturalem, ut vix concepi queat. Quis autem est ille angelorum primus, cui tanta perfectio inest? Quis primus ille angelus, quem Deus in tanta natura perfectione condidit? si credamus Tertulliano, primus ille angelus est sanctus Michaël, qui, inquit, est *exultus omni gloria angelica, et qui est eminentissimus angelorum* (ad Marc. 2, 10). Hoc et asserunt sancti Basilius et Ambrosius, ac etiam Rupertus Abbas et Sophronius: Michaël ergo est princeps magnus per Deum, cum Deus illum ita sublimaverit in natura, in qua illum condidit. Item dicitur princeps magnus per Deum, *qui Deus illum sublimavit in gratia, in qua illum creavit.*

2. Omnes penitus angeli primis creationis eorum instantibus gratia sanctificante a Deo fuisse exornati, gratiasque actuales tunc acceperunt, quarum auxilio æternam beatitudi-

nam mereri valebant: ut enim ait D. Augustinus, *Deus in angelis erat condens naturam et largiens gratiam* (de civ. D. 12, 9): non tamen divina gratia omnibus angelis data eadem mensura fuit cunctis collata; omnes pari gratiae honore non fuere sublimati: sanctus enim Michaël, ut docet sanctus Basilius, aliis omnibus in gratiae dignitate creditur prelatus: *Michaël dignitate et honoribus prelatus est ceteris spiritibus supernis* (hom. de Angel.). Verum est quod Deus Gabrielem, Raphaëlem, aliosque superiorum ordinum angelos maximis gratiarum donis affecterit; nihilominus sicut Michaelem alii praefecerat in natura, ita et illum praefecit in gratia; illique majora impertita est gratiae beneficia, quam aliis angelis, etiam eminentioribus. Quod verissimum fatebitur, qui prout plures docent sancti Patres, consebet, Deum angelis qui buslibet gratiam distribuisse, inita proportione ad naturam; ita ut angelis natura perfectioribus, perfectiorem gratiam dederit. Sic sanctus Basilius opinatur, dicens: *juxta proportionem eminentie inter se, sanctificationis mensuram angelique accepserunt a Spiritu sancto* (de Spirit. S. 10): idem docet sanctus Joannes Damascenus, aienis: *per sancti Spiritus sanctificationem omnes perfectionis numeros angelique accepserunt, ita tamen, ut pro sua quisque dignitate et classe, luminis, gratiaeque participes sint* (de fid. 2, 3). Angelii ergo perfectiores in natura maiorem percipere gratiam juxta naturalis suae perfectionis mensuram; non quod ob perfectiorem naturam perfectiori gratia digni fuerint; verum quia Deus ex libera sua voluntate angelos quos perfectiores in natura condidit, perfectiori etiam gratia exornare decrevit. Quapropter cum Deus Michaelem supra alios in natura sublimaverit, eum etiam supra alios in gratia sublimavit; *ac etiam in gloria*.

3. Sicut in imperatoris curia quidam habentur principes majores, qui ad ejus personam propriis accedere et familiarius cum eo versari solent, ita in Dei aula recensentur primi quidam et *primumgeniti angelorum principes* (Clem. Alex. Strom. 6), qui Deo adstant et majore libertate ad ejus Majestatem accedunt: sanctus autem Michaël prouul dubio censendus unus ex

primis illis celestis aula principibus: *Michaël unus de principibus primis*. Imo, sicut dum esset in via, primus omnium fuisse creditur ratione ornamentorum gratiae, ita et in celo primus reputatur ratione glorie et beatitudinis celestis, qua fruatur. Licet enim ali quidam angeli simul cum ipso sint de *principibus primis*, ille tamen per excellentiam et per antonomasiā vocatur *princeps magnus*, quasi supra omnes alios in gloria magnus et a Deo magis sublimatus. Unde illum sanctus Pantaleon maximam et fulgentissimam inter angelos stellam nuncupat: *Michaël, qui est maxima et clarissima stella angelici ordinis* (ap. Baron.). In celo, ut ait D. Paulus, est *alia claritas Solis, alia claritas Lune et alia claritas stellarum* (1 Cor. 15): per Solem, ut exponit Doctor Angelicus, potes intelligi Christus, Sol justitiae: *orientur vobis Sol justitiae* (Malach.); per lunam, B. Virgo, de qua (Cant. 6) dicunt quod sit *pulchra ut luna: per stellas, ceteri sancti, qui sunt stellae manentes in ordine suo* (Judic. 5.). Licet autem per stellas intelligi possint omnes sancti, convenientius tamen per stellas intelligenti videntur angeli, qui in Sacra Scriptura vocantur astra Deum laudantia: *quem laudent astra matutina*. Ista autem inter se differunt in gloria; nam sicut stellarum aliæ sunt aliis fulgentiores, ita et angelorum in gloria aliis sunt sublimiores et eminentiores. Jamvero stella inter eos fulgentior, seu angelus inter illos in gloria sublimior credendus sanctus Michaël Archangelus: *Michaël, qui est maxima et clarissima stella angelici ordinis*. Sicut enim eum Deus in natura et gratia perfectiorem effecit, ita et eum supra omnes in gloria sublimavit. Sanctus ergo Michaël est *princeps magnus apud Deum, a quo sublimatur: est etiam princeps magnus inter angelos, quibus praestet*.

II PARS.

*Sanctus Michaël est princeps magnus inter angelos,
quibus praest.*

Sicut Saul ab humero et sursum eminebat super omnem populum (1. Reg. 9.), ita, ut sentiunt plures sancti Patres, Michaëlem Deum aliis omnibus angelis eminentiorem et sublimorem effecit, deditque ei aliquam præsidentiam supra alios angelos, si non in omnibus, saltem in luciferi rebellione. Tunc enim bonorum angelorum dux et princeps fuit 1. in exercitu contra luciferum ordinato; 2. in pælio adversus illum et angelos ejus inito; 3. in victoria de eis reportata.

1. Cum æternam beatitudinem propriis meritis assequi deberent angeli, eos Deus aliquo tempore vel aliquibus momentis viatores constituit, ut in his instantibus, gratia sibi a Deo date cooperantes, æternam hanc beatitudinem mererentur. In brevissimo autem hoc temporis intervallo, quo in statu vita vixerunt, eis, ut sentiunt communiter Theologi, Deus futuram Verbi incarnationem manifestavat; atque ut obedientia, suaque humilitate regnum colorum assequi mererentur, eis præcepit Deus, ut Verbum incarnandum et in carne sibi hypostaticè aliquando conjungenda adorarent: et cum iterum introducit *Primogenitum in orbem terra, dicit: et adorent eum omnes angelii ejus* (Hebr. 1). Hoc quidem præceptum angelis omnibus a Deo factum creditur; et ex iis non pauci ei obtemperare rennerunt, dicentes, id naturæ, nobilitati et dignitati sue fore injuriosum. Lucifer alias protervior, inordinate sui amore accusans, inflatus superbia et invidia corrosus, non solum legi date obsequi renuit, verum et aliorum omnium angelorum rebellium se ducem constituit; et ex iis quasi exercitum compositus, cui ipse præfuit, ut adversus Dominum et aduersus Christum ejus decertaret. Michaël vero a Dei partibus stans ex bonis angelis alium ordinavit exercitum, cui ipse ut dux

Concio de Sancto Michaële Archangelo

41

et primas præfuit. Unde a Sophronio vocatur *sacré militie præceps*; a sancto Basilio *angelicarum copiarum dux* dicitur; et ab Ecclesia *primus celestis exercitus* appellatur. Bonorum ergo angelorum dux et princeps magnus fuit sanctus Michaël in exercitu, qui aduersus luciferum fuit ordinatus; *etiam dux et princeps fuit in pælio, quod contra luciferum initum est.*

2. Magnum in celo excitum est prælrium, in quo Michaël et boni angeli aduersus luciferum et angelos malos dimicarunt. Magnum extitit hoc prælrium *quoad locum*, cum non in terra, at in celo initum sit. Magnum fuit *quoad personas*, cum non homines infirmi et debiles, verum angeli natura sua incorruptibles et fortissimi adinvicem decertaverint. Magnum etiam extitit *quoad motum*, quod erat Christus, seu Verbum incarnandum, quod omnibus angelis adorandum a Deo propositum est. Magnum tandem et mirabile fuit hoc prælrium *quoad modum*, cum non alio modo certari contigerit, quam diversitate actuum intellectus et voluntatis; illud enim prælrium nil aliud fuit, quam diversitas et oppositio illa actuum intellectus et voluntatis angelorum, quorum aliqui Christum ab iis prævisum adoratione dignum crediderunt; et alii illum adorare recusarunt. Ecce prælrium magnum factum in celo, in quo sanctus Michaël omnibus angelis bonis præfuit, cœrumque dux extitit. In hoc enim prælio duo erant duces, Michaël scilicet et lucifer; Michaël dux bonorum et lucifer dux erat malorum angelorum, contra quos sanctus Michaël cum suis dimicavit: *factum est prælrium magnum in celo: Michaël et angeli ejus præliabantur cum dracone* (Apoc. 10). Malignus ille draco, seu lucifer, cauda trahebat tertiam partem stellarum, id est angelorum, qui ipsi adheserunt, illumque ut ducem secuti sunt: Michaël vero, qui a Dei partibus stabat, aliorum omnium angelorum dux aduersus luciferum consurrexit. Et dum conflictus ille opinionum et voluntatum daretur, ipse, ut dux pro Deo stans, suo modo clamavit: *quis ut Deus?* Quasi dicat: Deo nihil est comparandum; ipse omnium author, omnium Dominus, omnium Creator et Factor: ipse infinitus in sapientia, in boni-

tate, in potentia et in omni genere entis: ipsi nil simile, nil aquale, nil par esse potest. Ideo cum tantæ majestatis Deus imperet nobis, ut Verbum incarnandum adoremus, ei humiliter erit obtemperandum. En prælium, quod certatum est in celo, cui ut dux prefuit sanctus Michaël. *Et fuit etiam bonorum angelorum dux in victoria, quam de lucifero retulerunt.*

3. Omnes angeli boni simul cum Michaële de lucifero et omnibus ejus copiis gloriæ triumpharunt; sanctus Michaël tamen a Tertulliano vocatur *operarius victorice* (*de Par.* 12), quasi solus victoriam retulerit: eique ideo totius victoriaræ gloria tribuitur, quia omnium victorum dux fuit. Quod et ipsi pictores nos docent, cum Michaëlem delineant, lanceam vel ensem evaginatum dextera gestantem et draconem pedibus conculcantem: per ensem enim evaginatum, quem dextera gerit, indicare intendent eum fortiter adversus luciferum decertasse: per draconem autem, quem pedibus conterit, manifestare volunt, eum, ut exercitus bonorum angelorum ducem, fuisse operariæ victoriae, ac gloriösam de lucifero victoriam retulisse. Senserunt Hebrei Machabœos in bello fortes et de hostibus victores fuisse, quia in vexillis suis scriptam gerebant hanc epigraphen: *quis similis tui in diis, Domine?* (*Exod.* 15). An hoc verum sit, asserere non auderem; certissimum tamen videtur Michaëlem de lucifero et exercitu ejus triumphasse, quoniam pro Deo stetit, clamans: *quis ut Deus?* et quia exemplo suo, suisque verbis, majorem angelorum partem ad lucifero resistendam et ad Deo obtemperandum induxit. Ecce gloriösam Michaëlis victoriam: ecce modum, quo de lucifero vitor evasit: quo docemur, quomodo de illo et de angelis ejus triumphare valeamus. Cum enim ab iis tentamus, ut de eorum tentationibus triumphemus, clamandum cum Michaële: *quis ut Deus?* O homo! si satanas carnis voluptatibus, vel sæculi honoribus et divititis te inescare et perdere conetur, illa omnia parvipendens, clama: *quis ut Deus?* O adolescens! si formæ venustas te ad libidinem incendit, dic intra te: quis pulcher, quis formosus, quis speciosus ut Deus? cuius pulchritudo infinita: *quis ut Deus?* Quotiescumque tandem Satanas ad suas partes, et

ad sibi consentiendum vos adducere sataget, ei fortiter resiste, dicentes: *qui ut Deus?* Hoc si faciatis, de malignis spiritibus triumphabitis sicut sanctus Michaël. Modo postquam sanctum hunc Archangelum contemplati sumus, ut magnum principem inter angelos, videamus quomodo sit etiam *princeps magnus respectu hominum, quorum protector est.*

III PARS.

Sanctus Michaël est princeps magnus respectu hominum, quos protegit.

Inferiorum ordinum angeli ad custodiendas particulares personas a Deo delegantur, ita ut nec unus sit, vel fuerit homo, cuius cura et custodia uni eidem ex illis angelis commissa non fuerit. S. Michaël creditur princeps magnus, cui non unius dumtaxat persone, vel unius solum provincie commissa custodia et protectio, imvero dedit ei Deus protectionem 1. Sinagogæ Judaeorum; 2. Ecclesiæ christianorum; 3. regni Gallorum.

1. Synagoga Judaeorum nil aliud erat, quam populus judaicus, seu populus Dei, quem Deus amabat, fovebat, innumerisque beneficiis afficiebat. Hujus autem populi principem et protectorem instituit Deus sanctum Michaëlem Archangulum. *Michaël principatur populo Dei* (*Rup. Ab.*). Hic est populus pro quo stetit Michaël, ut illum protegeret: *Michaël princeps Magnus, qui stat pro filiis populi tui* (*Dan.* 12). Cum sanctus Michaël honorum angelorum dux et quasi protector in celo extiterit, congruum judicavit Deus, illum in terra constitueret defensorem et protectorem populi sui. Sicut ergo Pharaon Josephum toti Ægypto præposuit, dicens: *ecce constitui te super universam terram Ægypti* (*Gen.* 41), ita Deus sanctum Michaëlem toti Synagogæ præposuit, eumque populi sui custodem et protectorem constituit. Et revera mirabilia multa angelorum mysterio ante Christi adventum peracta, sancto Michaeli, ut Synagoga protectori tribuit sanctus Pantaleon (ubi

sup.). « Michaël, inquit, dux fuit populi Dei, ut eum ab Ægyptiaca servitute liberaret. Hie, una nocte, centum octoginta quinque milia militum exercitus Sennacherib regis Assyriorum enecuit: hic Ægyptiorum primogenitos interfecit, eorumque militares copias in mari rubra sepelivit. Hic Moysi sub forma rubi ardantis apparuit: hic ei tabulas digitu Dei conscriptas detulit: hic prophetam Habacuc a Judea in Babylonem ad Danielis consolationem transtulit ». Aliaque multa mirabilia fecit, quibus constat, quod Michaëlis cura Synagogam Deus demandaverit, quodque eum populi sui principem et protectorem constituerit. Insuper sanctus Michaël est etiam *Romanæ Ecclesie protector*.

2. Norunt omnes, romanam Ecclesiam esse navem illam multis hæresum et persecutionum agitatam fluctibus nullum unquam passuram nonfragium. Insurgant, quantum volerint, tartarei spiritus; eam turbare et evertere conentur, quantum libuerit; porte inferi nunquam prevalebunt adversus eam, quia potentissima et invisibilis quedam manus ita illam defendit et protegit, ut usque ad mundi finem sit perseveratura. Illa autem manus a qua sancta Romana Ecclesia protegitur: ille protector a quo tutatur et defenditur, est haud dubie Christus, qui illam fundavit sanguine suo. Ejus tamen protector censensus etiam sanctus Michaël Archangelus, cuius protectioni eam Christus Salvator demandavit. Unde quidem ut protectorem suum sancta Romana Ecclesia agnoscit et veneratur: *Ecclesia catholica Michaellem patronum novit et protectorem ob insignia ejus ope accepta beneficia* (Baron. ann. 60). Omnes quidem angelos honorat sancta Romana Ecclesia, sed præcipue *primatem coelestis exercitus Michaëlem*. Coelestes omnes illos venerant spiritus; ac specialiori honore prosequitur sanctum Archangulum Michaëlem, in ejus honorem duo festa instituit. Si autem a sancto Laurentio Justiniano queras, cur eum speciali cultu honoret Ecclesia, respondebit, hoc ideo fieri, quia ab Ecclesia ut custos et protector agnosciatur: non abs re illum *sacrosancta mater honorat Ecclesia, quem sui specialem novit esse custodem et intercessorem assiduum*. Demum S. Michaël est etiam *protector regni Gallie*.

3. Quicunque advertunt, regnum Gallicum a primis fere Ecclesiæ sæculis non solum a gentilibus, ab infidelibus et ab hæreticis, sed etiam ab imperatoribus, a christianis regibus, nec non a potentissimis omnibus generis hostibus impugnatum, tamen semper florere, triumphare, ac in catholica religione constanter perseverare, fateri coguntur, hoc regnum speciali protectione a Deo foveri; simul etiam pro certo habendum, quod Deus illud sancti Michaëlis protectioni demandaverit. Sicut enim voluit Deus, ut sanctus Michaël esset sanctæ Romanæ Ecclesie protector, ita statuit illum tutelarem angelum et specialem protectorem regni Gallici, quod est hereditas christianissimi ejus regis, qui dicitur Ecclesiæ primogenitus, defensor et ornans: *Michaël protector est et princeps imperii Francorum* (Baron. ann. 709). Hunc regni Gallici protectorem novit, et expertus est Carolus Magnus, qui prælium adversus Saxones initurus, ante conflictum flexis genibus supplex sancti Michaëlis auxilium imploravit, quod ipsi præsto fuit; dum enim iniretur deinde prælium, sanctum hunc Archangulum vidit in fronte exercitus Gallici, albo insidentem equo, cæruleum deferentem vexillum, liliis aureis intextum: tantumque fulgorem e facie sua emittement, ut Saxones perterriti, alii in fugam se converterint, et alii se invicem occiderint. Exinde Carolus Magnus, in tanti beneficij memoriam, militaribus suis vexillis sancti Michaëlis imaginem depingi voluit, cum hoc lemmate: *Ecce Michaël princeps magnus, venit in adjutorium mihi*. Sanctum hunc Archangulum vere regni Gallici protectorem expertus est etiam Carolus VII. Cum enim Angli eum jam majori regni parte spoliassent, ad sancti Michaëlis patrocinium confugit, ad hoc ut infessimmo illos hostes civitatem Aureliam obsidentes debellare et expellere posset. Caroli autem preces exaudiuit sanctus Michaël; cum enim generali oppugnatione civitatem hanc invadere pertinassent Angeli, supra urbis pontem sub forma visibili visus est sanctus Michaël, qui eos expulit et alio migrare coegit. Propterea Carolus in accepti beneficii memoriam militaribus suis vexillis sancti Archangeli Michaëlis effigiem apponi curavit, eus haec epigraphe: *Nemo est adjutor*

meus, nisi Michael princeps noster. Haec et alia que adduci possent exempla, clare manifestant quod sanctus Michael non solum Synagogæ et Ecclesie Romane, verum etiam Gallici regni protector sit et defensor. Itaque fateamur nunc, quod sanctus Michael vere princeps magnus sit: hoc fateamur; eum speciali cultu veneremur; ac tanti principis et protectoris auxilium supplices imploremus. Verum quidem, quod omnes angeli potentes sint ad impetrandas a Deo gratias clientum gratia; attamen, ut ait Cæsarius, *sanctus Michael ceteris angelis diligentior est circa genus humanum:* et non solum est diligenter, sed et ejus intercessio apud Deum est potentior. Ideo ad omnium angelorum configuite patrocinium, ac studiosius auxilium implorate sancti Michaelis, qui beneficus est, et apud Deum potentissimus atque hominum protector a Deo constitutus. Asserit Doctor Seraphicus (*in spec. B. V.*), quod sanctus Michael speciali protectione in hora mortis eos foveat, qui tempore vitaæ sua eum religioso quodam cultu venerant sunt; idcirco magna reverentia eum veneremur; eum quotidie speciali quodam cultu honoremus, ut illum in hora mortis protectorem habere mereamur, utque mediante ejus auxilio et protectione, aeternam beatitudinem assequi valeamus. Amen.

DE SANCTO HIERONYMO

CONCIO UNICA.

Magnus vocabitur (Matth. 5).

In laudes hodie lubens erumpo illustrissimi illius viri, qui totius Romanae Ecclesie lingua extitit: ex animo magnalia prædicto incomparabilis hujus Doctoris, qui Dei magnalia hominibus propalavat; intimo cordis affectu elogium suscipio peregrinii illius sancti, qui totius sanctitatis speculum, ac complu-

rium aliorum sanctorum jubar et eloquentissimus præce extitit. Verum quidem, quod sicut magna lumina oculos intuentum præstringere solent, ita tot virtutes, totque in S. Hieronymo emicant perfectiones, ut cum ad ejus encomium elaborandum me accingo, caligent oculi, meusque ad tam arduum opus insufficientis vacillet animus et deficeret incipiat. Quis enim digno prosequi possit eloquio sanctum hunc Ecclesie Doctorem, qui in omni literatura clarus et præclarior vita sanctitate effusit? Quis meritis effundere valeat landes mirandi hujus viri, qui fuit natus scientiis, Biblis factus, educatus in omni sapientia, et qui, omnium calculo, haëreticorum excidium, exemplar Amatorum, Doctorum decus, totiusque orbis Ecclesiastici rutilantissimum sidus nuncupari meretur? Fatoor, quod cum tanti viri merita et magnalia inspicio, suspicio, meaque faucibus haeretet lingua, nisi adveniret auxilium desuper; ideo coelesti lumine irradiari supplies postulemus. Ave.

Illustrissimum Doctorem sanctum Hieronymum considero in mundo, in deserto et in Ecclesia: *in mundo*, ubi a Deo positus fuit, ut multis præluderet; *in deserto*, in quod se contulit, ut altiori perfectioni acquirendae incumbere; *in Ecclesia*, in quam eminenti sua scientia, tum vita sanctitate cunctis fidelibus se mirabilem prebuit. *In mundo* S. Hieronymus fuit Doctor celeberrimus: *in deserto* fuit monachus perfectissimus; *in Ecclesia* fuit homo portentosus, omnique virtutum et meritorum genere clarus. Ex jam prælibat facile digneascurit, quid in tota hac encomiastica oratione intendam; id unum probare volo, quod sanctus Hieronymus vere magnus fuerit: *magnus vocabitur*. Et ut propositum finem assequi valeam, dico eum fuisse magnum in mundo, in deserto et in Ecclesia: *in mundo*, in quo sicut sol radians effusit; *in deserto*, ubi angelicam vitam duxit; *in Ecclesia*, ubi tamquam prodigium habitus est: atque ut clarius explicem, quanta fuerit sancti Hieronymi magnitudo, dicam quod fuerit sol, angelus et prodigium. Fuit 1. *sol* in mundo; 2. *angelus* in deserto; 3. *prodigium* in Ecclesia.

I PARS.

Sanctus Hieronymus fuit sol in mundo.

Sicut in admirabili creationis mundi opificio Deus solem, lunam et stellas, tamquam tot sidera, quibus mundum illuminaret, celo affixit; ita et in mundi reparacione, Christus in orbe ecclesiastico Apostolos, Doctores et innumeros sanctos excitavit, qui veluti fulgentissima lumina, universum terrarum orbem doctrina et virtutibus suis illustrarunt. Inter tot autem sidera sanctus Hieronymus fuisse videtur luminare majus, et quasi sol, qui affulxit haereticis, mundanis et viris perfectis. Affulxit: 1. *haereticis*, ut eos a via erroris averteret; 2. *mundanis*, ut illos a via perditionis revocaret; 3. *perfectis*, ut eis altioris sanctitatis viam patefaceret.

1. In hoc convenienti haeretici cum damnatis, quod illi et isti atris involvantur tenebris: damnati enim infra terrae viscera latent, in antris tenebrosis uruntur, et in mediis tenebris conticescent. *Impii in tenebre conticescunt* (II Reg. 32). Haeretici vero, in hoc mundo viventes, in tenebris erroris et ignorantiae versantur, ac ita obscuratur intellectus eorum, ut dicant *bonum malum et malum bonum*. Deus, qui neminem vult perire, interdum Doctores mittit, qui haereticos erudiant, a via erroris avertant et ad salutis viam dirigant. Et sic Deus mirabilis sua providentia, eo tempore quo Ecclesia ab innumeris impugnabatur haereticis, sanctum Hieronymum, tamquam solem fulgentissimum misit in mundum, ut erroris tenebras ab haereticorum cordibus fugaret, eisque in via salutis illucesceret. Sicut enim sol est totius mundi lumen, ita et Hieronymus totius orbis Ecclesiastici lumen et sol extitit, qui non solum catholicos, verum et haereticos innumeros illuminavit: *sanctus Hieronymus fuit praedicator regni, lumen mundi* (Lau. Just. in vita Hieron.). Temporibus sanctorum Augustini et Hieronymi undique grassabantur haereses et in dies augen-

bantur; *crescunt errores, crescunt tenebrae* (August. ser. 26 in Joan.). Sicut autem in mundi primordio Deus solem et lunam creavit, ut mundo illucescerent, ita Deus, mundum videns densissimos haereses involutum tenebris, Augustinum et Hieronymum tamquam duo fulgentissima lumina, quae in orbe Ecclesiastico fulgerent, apposite advocavit. Magnum lumen fuit Augustinus, magnum lumen Hieronymus; et si ab Augustino queratur, quod ex duobus his luminibus magis haereticis illuxerit, ipsi totum hujuscemodi rei honorem Hieronymo impedit, dicens, quod Hieronymus fuerit lumine majus; quodque tamquam sol admirabilis, hereticis ab Oriente usque ad Occidentem illuxerit: *Hieronymus ab Oriente in Occidentem, instar solis, resplendit* (ser. 2 in Joan.). Si ergo sanctus Hieronymus fuit sol, qui effusit haereticis, ut eos a via erroris averteret, *fuit etiam sol, qui mundanis affulxit, ut eos a via perditionis revocaret*.

2. Sanctissimo Christi praecursori Hieronymum comparat sanctus Augustinus, dicens: *Hieronymus erat alter Joannes Baptista* (Ib.). Si queras a sancto Bernardo, quis et qualis fuerit sanctus Joannes Baptista? respondebit, quod fuerit *lucerna ardens et lucens* (1): Joannes quidem fuit lucerna ardens et lucens, que Herod, Herodiadi, multis peccatoribus eum in deserto concionantem audienteribus, omnibusque in peccati tenebris et in umbra mortis sedentibus illuxit. Sanctus autem Hieronymus fuit *alter Joannes Baptista*, quoniam fuit lucerna fulgentissima, et quasi sol hominibus mundanis, mundoque deditis lucens. Jam enim illos de facienda et de vitanda erudithebat; jam illos acriter arguebat, et jam illos suaviter monebat. Aliquis tremenda Dei iudicia exaggerabat, ut illos terroreret; alius ineffabilem Dei misericordiam proponebat, ut illos in spem salutis erigeret; ac tandem omnibus mundanis, tamquam verus sol illucesceret, ut a via perditionis eos revocaret. In celo S. Hie-

(1) Hoc verba non Bernardi sunt, sed ipsius Christi, ut habetur (Jo. 5, 35).

ronymus, non secus ac alii sancti, nunc fulget sicut sol; jamque in terris degens fulsit sicut sol, scientie et virtutum suarum radiis mundanos illuminans et a via iniquitatis avertens; scripta enim, verba et opera ejus micabant tamquam lumina, quibus peccatores irradiabat atque ab erroris et iniquitatis via illos revocabat. Heu! quot peccatores, suadente, docente et movente Hieronymo, vitii valedixerunt, dissoluerunt colligationes suas pessimas, a pravis se elongarunt peccandi occasionibus, ac virtutis et veritatis viam amplexati sunt! quot item nunc sancti sicut sol fulgent in celo, quia sanctus Hieronymus, sicut sol, sis illuxit in terra! Certe S. Hieronymus fuit sol admirabilis, qui affulxit hominibus mundanis, ut eos a perditionis via revocaret; et qui affulxit etiam hominibus perfectis, ut eis altioris sanctitatis viam manifestaret.

3. Sicut Deus *Solem suum oriri facit super bonos et malos*, ita S. Hieronymus veluti sol quidam mysticus a Deo in hoc orbe positus non solum haereticis, aliisque malignis peccatoribus, verum etiam hominibus sanctioribus et perfectioribus illuxit. Sol iste rutilantissimus innumeris illuxit religiosis, quos ad sublimioris perfectionis vitam edocuit; illuxit Paulae, Melaniae, Eustochio, aliisque quampluribus sacris virginibus, quibus virginice puritatis gloriam et merita manifestavit; illuxit tandem doctoribus, episcopis, summis Pontificibus, aliisque innumeris viris perfectioris vite sectatoribus et studiosis, quibus omnis perfectionis leges dedit. Sol ab Orphao vocabatur *oculus mundi*, et a sancto Gregorio Nazianzeno *oculus lucis* appellatur (Rodig. 3, 22). Quod autem de sole dixerunt Nazianzeni et Orpheus, hoc et nos de sancta Hieronymo dicamus. Qui quidem fuit sol et *oculus mundi*, quoniam hominibus mundanis et peccatoribus illuxit; et fuit etiam sol et *oculus lucis*, quia sanctioribus et perfectioribus viris, qui *fili lucis* dicuntur, gloriissime affulxit. Si ergo in laudem Simonis, Oniae filii sacerdotis magni, dixit Spiritus Sanctus, quod sicut sol in templo Dei refulerit: *quasi sol refulgens, sic ille effulgit in templo Dei* (Eccl. 50); de sancto Hieronymo similiter dicendum, quod in hoc mundo, qui est magnum Dei templum, haereticis, mun-

danis et viris perfectis, tamquam sol effulserit. Postquam vero sanctum Hieronymum contemplati sumus, ut solem in mundo, consideremus eum ut angelum in deserto; et hic est secundus magnitudinis ejus radius: *magnus vocabitur*.

II PARS.

Sanctus Hieronymus fuit angelus in deserto.

Licit sanctissimus Christi Praecursor, qui deserta sanctificavit, homo fuerit sicut et alii, in sacris tamen codicibus angelus vocatur: *Ecce ego mitto angelum meum*. Et quoad hoc illi similis videtur sanctus Hieronymus, de quo dicere possumus: *alter hic Joannes Baptista*. Hieronymus enim, sicut et sanctus Joannes Baptista, vere fuit angelus in deserto ratione puritatis, abstinentiae et orationis sue: 1. *ratione puritatis*, qua floruit; 2. *ratione abstinentiae*, quam sectatus est; 3. *ratione orationis*, cui indesinenter instavat.

1. Virgines sanctus Ignatius martyr vocat sacramenta: *virgines sunt Christi sacramenta*. Sunt utique augusta sacramenta, quae sub fragilis et corruptibilis carnis velo angelicam puritatem occultant; sicut enim in sacramentis sub vili et visibili quadam signo, invisibilis et mirabilis Dei gratia latitat, ita virgines pariter quasi sacramenta, sub visibili et vili carne angelicam puritatem tegunt et conservant. Vel dicamus, virgines esse *sacramenta*, quia ad extra sunt homines et intus angeli; ad extra sunt homines ratione naturae humanae, qua constituntur; ad intra sunt angeli ratione puritatis angelicae, qua praestant. Unum autem ex hujusmodi sacramentis extitit sanctus Hieronymus, qui verus homo, sicut et alii, fuit etiam angelus puritate, quia leviora queque impudicitiae phantasmatu velut infernum timuit et in carne humana puritatem angelicam servavit. Scio, quod dum in deserto commoraretur sanctus Hieronymus, horrendis interdum vexabat carnis tentationibus, et probe etiam scio, quod adversus hunc luxuria-

spiritum fortiter decertaverit et de eo gloriose thriumphaverit. Cum iniquus hic immundus spiritus eum aggrediebatur, ipse proprium corpus arctis affligebat jejuniis, diris flagellis excipiebat, omnibusque modis vexabat, ut de puritatis sua hoste triumpharet. In quo sanctum hunc solitarium puritate sua, non solum angelis parem, verum etiam superiorem arbitror, quoniam, ut ait S. Basilus, *virgines angeli sunt, non inferioris alicujus ordinis, sed illustrioris et nobilioris.* Et revera longe illustrius, nobiliss et fortius censendum, quod homo pugnando, corpus mactando et continuas carnis mortificationi insistendo, puritatem illasam conservet, quam quod angelus natura sua purus et spiritualis in puritate sua perseveret. Propterea fatendum, quod sanctus Hieronymus in deserto angelus fuitur puritate sua: *ac etiam abstinentia et jejuniis suis.*

2. Neminem latet, sanctum Hieronymum abstinentiae et jejunii maxime fuisse deditum. Hic inter monachos vivebat, qui urgentem sitim solius aquae haustu extinguebant et qui solis leguminibus raro coctis et semper male conditis vescebantur; quam vivendi rationem licet asperrimam, ille sollicite servabat. Imo, sicut alii scientia et sanctitatem eminebat, ita et illos abstinentia et vita austerioritate antebeat. Si etenim fidem adhibeamus Augustino, Hieronymus toto quinquaginta annorum spatio, aqua solummodo usus est, et semel in die radices, vel olera comedere consuevit. Ipse etiam Hieronymus de semetipsa refert, quod ut rebellis carnis motus comprimeret, sepe pluribus diebus ab omnibus cibis abstineret; ita ut pallerent ora jejuniis, corpusque ejus aridum, exsiccatum et quasi mortuum spectantium oculis videretur. Unde de eo sicut et de sancto Joanne Baptista dici poterat, *quod erat non manducans, neque bibens.* De eo etiam, sicut de sanctissimo Christi Precursore, dici debet, quod fuerit angelus in deserto, ratione abstinentiae et jejuniiorum, quibus corpus jam pene exanime affligebat et dire cruciabat. Sicut enim, *quia jejuniū vacavat Joannes, non homo, sed angelus astimatus est* (Ambr. de Helia et jejun., 3), ita, *quia sanctus Hieronymus in deserto corpus suum acerbis cruciavit jejuniis, angelus, non homo vocari meretur.* Non an-

geli dicendi, qui interdum jejunant, ut legem de jejunio non violent, non angeli appellandi, qui ita jejunant, ut cibis quadragesimalibus opipare vescuntur; item non angeli vocandi, qui in prandio exquisitis quadragesimalibus cibis sic ventrem replet, ut non jejunare, potius gula indulgere videantur. Jejuniis suis angelus vere evasit sanctus Hieronymus, qui ita jejunabat, ut solis radicibus et oleribus vesceretur, et cuius jejunia adeo crebra et arcta erant, ut pallerent ora jejuniis, corpusque ejus, velut radix sicca, arida et quasi mortua videbatur. De Hieronymo certe dici poterat: *non est homo, sed angelus, quia ferme angelus est jejunans* (S. Chrys.); ac de eo asseri, quod ordinis esset angelicus, *quia jejuniū, angelorum cibus est et qui eo uititur, ordinis angelici censendus est* (S. Athan. de virg.). O mirandum hominem! qui simul angelus est puritate qua floruit et jejuniis quibus instituit, atque etiam oratione, cui continue vacavit.

3. Angeli in celo divinis continue insistunt laudibus; hi tamquam astra illa matutina, Deum indesinenter laudant; hi sunt ministri Domini facientes voluntatem ejus, qui in onari tempore et loco divinis laudibus vacare non desinunt; hi sunt spiritus illi celestes, qui semper vident faciem Dei et qui divinam maiestatem continuis laudibus prosecuntur; hi tandem sunt hominum advocati et protectores, quorum operatio continua est Deum laudare, benedicere et pro hominum salute orare. *Angelorum opus est deprecationis* (S. Chrys. ibid.). Sicut autem angeli in celo, ita et Hieronymus in deserto orationi indesinenter incubuit: hoc dicendum speciale et quasi continuum ejus opus. Mirabilis enim ille solitarius in omni loco et tempore Deum pro se, et pro omni populo orare non desinebat, ita ut saepet tota die et nocte ad Deum precibus suis clamaret: *memini, inquit, me clamantem diem crebro junxisse cum nocte.* In vallibus et montibus, in rupibus et antris ad Deum preces fundebat; *sic ubi concava callium, aspera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus.* Hieronymus tandem, tamquam terrestris quidam angelus, in omnibus locis et temporibus orationi indesinenter adhaerebat. Nonnulli ho-

mines, quasi bruta et muta animalia, nusquam Deum deprecantur; et alii, sicut angelii, corda sua ad Deum per orationem continuo elevate. Et istos sanctus Chrysostomus homines a brutorum natura alienos, angelos et angelorum socios nuncupat: *deprecatione te separat a multis animalibus, haec te sociat angelis* (Chrysost. *de orand. Deum*). Pernocabat Paulus in oratione Dei: *ecco angelum et angelorum socium*; orabat sanctus Antonius a solis occasu usque ad ejus ortum: *ecco angelum*; sanctus Benedictus, sanctus Bruno, sanctus Franciscus et alii multi sancti viri orationi sedulo et jugiter incumbebant, *ecco terrestres angelos*. Specialiter vero angelus dici meretur S. Hieronymus ratione orationis, cui tam frequens et assiduus vacabat, ut orare et respirare unum et idem in eo esse videarentur. Dum Roma moraretur, ibique personarum pliarum institutioni, conscriptioni librorum, totiusque Ecclesiae majoribus negotiis incumberet, ingemiscerat eo quod ardens orandi studium, quo seruebat, ad satietatem explorare non valeret. Ideo solitudines quiescivit, et loca deserta ab omni tumultu semota adivit; ibique orationi tam assidue vacavit, ut non amplius homo, immo verus angelus videretur et angelis cœlestibus societur. Magnus ergo extitit sanctus Hieronymus, quia fuit angelus in deserto, ac etiam quia fuit prodigium in Ecclesia. Ecce tertium magnitudinis ejus radium: *magnus vocabitur*.

III PARS.

Sanctus Hieronymus fuit prodigium in Ecclesia.

Si portenta et prodigia dicimus viros illos, qui aliquid insolutum, extraordinarium et admirabile in se habent, vel operantur, multis sane rationibus prodigium in Ecclesia dicendus sanctus Hieronymus; prodigium enim fuit 1. *libris*, quos conscripsit; 2. *oraculis*, quae protulit; 3. *virtutibus*, quibus enituit.

1. A Deo quidem inspirata ac portentosa videtur Augustini, Gregorii, Chrysostomi et aliorum sanctæ Romanae Ecclesiae Patrum

doctrina, nec mirabiles eorum libros legere possumus, quin in eis aliquid portentosum agnoscamus. Attamen quid magis portentosum eluet in sancto Hieronymo ratione mirabilium librorum quos dictavit, et scriptorum que Ecclesie reliquit; ejusmodi enim libros, taliaque scripta edidit sanctus Hieronymus, ut aliquomodo ipsius libri et scripta videantur libri et scripta Dei. Mirabilis enim ille Docto r a Deo et ab Ecclesia delegatus, ex sacra Scriptura libris dispersa collegit, ab hereticis corrupta redintegravit, variasque sacrorum librorum versiones elucidavit et Ecclesie tradidit, in quibus simul leguntur scripta Dei et scripta sancti Hieronymi, libri Dei et libri sancti Hieronymi. Eaque inter se ita connexa habent, ut revera libri et scripta, que Deus Ecclesie suæ reliquit, dicantur etiam libri et scripta S. Hieronymi, et e contra libri et scripta sancti Hieronymi sint etiam libri et scripta Dei. In admiribili Verbi aeterni incarnatione divina cum humana Christi natura tanta effecta est unio, ut per communicationem idiomatum, que de una ex his naturis dicuntur, de alia etiam dici possint. Et sic de Christo Salvatore ratione naturæ humanae, cui divinitas unitar, dicimus, quod Deus est infans, parvus, passibilis, moriens et mortuus. Et contra ratione naturæ divinæ, cui huminitas conjungitur, dicimus, quod hic homo est aeternus, immensus, infinitus et impassibilis. Idem quodam modo dicendum videtur de libris et scriptis sancti Hieronymi respectu scriptorum et librorum Spiritus Sancti. Nam ex eo tempore, quo ad totius Ecclesie decorum et utilitatem sacramon librorum versionem, que nunc vulgata dicitur, edidit sanctus Hieronymus, tanta librorum ejus cum divinis extat unio, ut revera libri Dei censemantur libri sancti Hieronymi et libri sancti Hieronymi vicissim libri Dei. Unde si de sanctæ Scripturæ libris dicat quis, quod sint opera Dei, quia Deo inspirante conscripta, addam et ego, quod haec sint Hieronymi opera, quia ab eo collecta, correcta et lingue latine redditia sunt (1). Miramini scripta et libros

(1) Hæc tamen, auctoris venia, nimis argeri videntur, et dum gesta et merita viri sancti exaltantur, vix non detrahitur divinitati sacramon librorum.

sancti Hieronymi, et fatemini, eum in Ecclesia esse prodigium, ratione librorum quos scripsit: *itemque sanctus Hieronymus reputatur prodigium in Ecclesia ratione oraculorum quo protulit.*

2. Sua olim oracula habebant gentiles, quæ nil aliud erant, quam demones in idolis loquentes, qui nunc casus futuros praedicebant, nunc dubia proposita solvebant, et fere semper sub verbis æquivocis et amphibologicis homines falcebant. Vana quidem, superstitionis et exitiosa hæc oracula; e contra verum totius Ecclesie oraculum extitit S. Hieronymus, qui tot oracula, quot verba protulisse videtur: et ad quem tamquam ad oraculum, ex omnibus terræ partibus omnis generis personæ veniebant. E silvis et antris egrediebantur monachi, ut ab eo perfectionem vivendi normam acciperent: ad eum undequaque accedebant episcopi, ut eum loquente audirent, atque ejus consilii se subjecerent. Ad eum advolabant viri doctissimi, ut doctiores fierent; ipse etiam Augustinus, qui ut doctorum aquila et ut fulgentissimum mundi lumen a cunctis inspiciebatur, difficiliorum sacrae Scripturæ locorum explicationem ab eo sepe petebat. Nec mirum si sanctum Hieronymum consulunt Doctores et Episcopi, cum et ipsi summi Pontifices, qui totius Orbis ecclesiastici sunt oracula, ad eum, tamquam ad superius quoddam oraculum irent, ab eo consilium petere non degindarentur, ejusque responsiones, velut decreta a Deo manantia recipenter et venerantur. Ad eum ex omnibus mundi partibus properabant docti et indocti, qui eum consuluerant, *quasi si quis consuleret Dominum* (1 Reg. 16); ipse autem omnibus respondebat, ejusque responsa tamquam oracula et decreta canonica recipiebantur. Itaque fatendum, quod sanctus Hieronymus in Ecclesia vere prodigium fuerit ratione oraculorum, quæ protulit: *ac etiam ratione virtutum, quibus enituit.*

Constat enim in infinitum differre divinas scripturas a scriptis cuiuscumque vel sanctissimi doctoris, prout differre noscuntur opera sapientie increatae ab operibus intellectus creati; ea igitur æquare vel nimium ad invicem comparare, saltem quid abscon et incongruum sapit.

N. E.

3. In Hieronymo, qui totus portentosus erat, portentosæ micabant virtutes. Portentosa in eo humilitas, portentosa paupertas voluntaria, portentosus salutis animarum zelus, portentosus punitientia, portentosæ mortificationes, quibus corpus excruciat et portentosus concentus omnium virtutum quibus rutilabat. Probe sciebat S. Doctor, illos in celo non fore magnos, qui alios solum docuerint, nisi et ipsi fecerint que ab aliis agenda dixerint: *qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno celorum* (Matt. 5). Hic ergo non solum alios verbo docet mundi fugam, divitiarum contemptum, solitudinis, mortificationes, humilitatis, orationis et omnium virtutum amorem; verum ipsemet terrena cuncta abiciens et mundo valedicens, in locum solitarium, tamquam in voluntarium carcerem se recipit; ibique jam corpus flagellis dire excepit, jam lapide pectus crudeliter tundit, nunc uberes fundit lacrymas: ac ibi orationi, contemplationi, humilitati, charitati, jejuniis, aliquis virtutibus tanto spiritus fervore incumbit, ut omnibus hominibus prodigium effectus sit; *prodigium factus sum multis.* Sibi ipsi, sicut et aliis dicebat Hieronymus; *delicatus es, si et hic vis gaudere cum seculo et postea regnare cum Christo* (ib. 2, ep. 5). Quapropter nil voluptat, nil mundi deliciar, nil corporis consolatione dabat; totus erat orationi, totus humilitati, totus charitati, totusque omnium virtutum exercitio. Heu! quibus virtutibus non floruit in celebri illa Syriae solitudine, ubi toto quadriennio remansit, et ubi monachis humillimis humilior, pauperior pauperrimis et sanctissimis sanctorum extitit! Ulterius quas virtutes non sectatur in monasterio illo Bethlehemito, a sancta Paula Romana extructo! Ibi omni humilitate adorat Christum in præsepio nascientem, ibi gemitu Christi pueri memor, propriis lacrymis sanctum illud antrum irrigat: ibi Christum ut perfectissimum altioris humilitatis, arctioris paupertatis, ardenteris charitatis, omniumque virtutum exempla indesinenter contemplatus, ei, quantum fas est, se conformatum efficit, omnesque virtutes tanta cum perfectione sectatur, ut ratione virtutum suarum omnibus prodigium efficiatur. Miramini portentosum

hunc virum, atque virtutes ejus imitari contendite. Quid proderit ejus propalare merita et virtutes predicare, si eum nullo modo imitari velimus? non salvabimur, quia ille sanctus fuit et quia ille omni virtutum genere floruit; salvabimur, si has sedulo sectemur virtutes, quibus ille adhaesit. Non salvabunt nos bona ejus opera, verum nostræ ergo faciamus bona opera que fecit Hieronymus et salvabimur sicut Hieronymus. Dei iudicia sepe mente volvebat vir ille sanctissimus et ab iis plurimum timebat: *ego diebus ac noctibus cogito cum tremore, reddere novissimum quadrante* (ep. ad Florent., 9). Timebat etiam æterna inferni supplicia, quæ ut securius vitaret, in solitudinem cessavit, ubi omni virtutum generi operam dedit: *ille ego, qui ob gehennæ metu tali me carcere ipse dannaveram* (Ep. 22 ad Eustoch.). Timebat ille, timete et vos; ac sicut timor judiciorum Dei et penarum inferni, eum ad perfectius Deo servendum induxit, timete similiter vos; et ita timete, ut abdicato omni scelere, virtutibus illis sectandis sedulo incumbatis, quibus mediantibus æternam beatitudinem assequi valeatis. Amen.

DE ANGELO CUSTODE

CONCIO UNICA.

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodian te
(Psal. 90, 8).

Deus, cuius in omnibus admirabilis est providentia, angelos scientia, decore et dignitate omnes alias creaturas superantes, ad hominum tam impiorum, quam justorum custodiam delegare dignatur. Coelestes autem illi spiritus, quasi suæ dignitatis obliiti, Dei obtemperant voluntati et personarum sibi commis-

sarum saluti mira solicitudine invigilant. Hi namque semper suadent bona, introrsus loquuntur salubria, ad orandum provocant, excitant ad compunctionem, pacificant mentem, cogitationes ordinant, spci infundunt dulcedinem, obtemperare Deo, legisque mandata servare docent: et ut paucis multa complectar, *Angeli nostram in omnibus selant salutem* (S. Laur. Just. de cast. conn., 3). Omnia quæ sanctissimi et vigilantissimi illi custodes nobis impendunt beneficia, singulatim recensere, explicare et predicare nobis foret impossibile; ideo ex iis aliqua solummodo ponderabimus, quæ maxima novimus et quæ ad magna custodibus angelis obsequia prestanta quemque notum excitare et compellere debent. Ace.

Protoparentis nostri peccato effecti sumus ignari, debiles et miseri, omnique gratia indigni. Exitioso hoc peccato evasimus ignari eorum quæ Dei sunt, ita ut hominum plerique veluti bruta animantia, nequaquam spiritualia et divina percipiunt. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei* (1 Cor. 2). Hoc peccato effecti sumus etiam debiles respectu dæmonis, qui adversum nos continue pugnat, quique nos devorare et perdere semper intendit: *adversarius vester diabolus circuit quærens quem devoret* (1. Pet. 5). Hoc tandem peccato facti sumus miseri et celestibus indigni favoribus; *homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multi misericordiis* (Job. 14). Si jam ignari et cæci simus, aliquo egemus doctore, qui nos erudiatur et illuminet; si simus infirmi et debiles, aliquo indigemus protectorre, qui nos roboret et defendat: si tandem miseri et divina gratia indigni simus, vigilanti et potenti apud Deum egemus patrono, qui pro nobis oret, salutisque nostræ negotia gerat. Angeli autem tria hæc nobis impendunt beneficia: sunt enim doctores, protectores et advocati nostri. Sunt 1. *doctores*, qui nos erudiunt; 2. *protectores*, qui nos defendunt; 3. *advocati*, qui apud Deum pro nobis patrocinantur.

I PARS.

Angeli custodes sunt Doctores, qui nos erudiunt.

Christus Dominus in mundum venit, sive ut Salvatoris solum, sive etiam ut doctoris fungeretur officio, et ideo vocari voluit Magister et Doctor. *Vocatis me, Magister, et bene dicitis* (Joan. 13). Divinus autem ille Doctor homines erudit, eosque docuit peccati fugam, virtutis amorem et ea omnia quæ ad salutem spectant. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegantes impietatem et secularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc seculo* (ad Tit. 2). Quod fecit Christus respectu totius humani generis, hoc ut quotidie suorum clientium, hominumque sue curae demandatorum gratia perficiunt custodes angelii. Eos enim erudiunt interiori: eos docent obtemperare Deo, impietatem abnegare, resurgere a peccato: sobrietatem, humilitatem, omnesque virtutes sectari: ac ea omnia quæ salutis sunt, sedulo peragere. *Angeli docent nos obtemperare Deo, subesse majoribus, pacem diligere, humilitatem sectari et cuncta odisse que norunt repugnare virtuti* (Laur. Just. ibid.). Angelos divi Athanasius mortalium praecceptores vocat; quilibet enim custos angelus respectu sui clientis doctoris et praceptoris fungitur officio; ac, ut ait D. Augustinus, *custos Angelus semper nobis adstat, nosque salutaribus inspirationibus illuminat* (Solil. 27). Unde quilibet angelus suo dicere posset clienti quod Danieli dixit Archangelus Gabriel: *nunc egressus sum, ut docearem te*. Custodes namque angelii e celo egressintur et ad hæc inferiora descendunt, ut nobis adstant: atque tamquam doctores ad nostri curam destinati doceant nos terrena desplicere, vitare peccata, virtutem sectari, Deum et proximum toto corde diligere, omniaque peragere, quæ ad salutem et perfectionem nostram attinent. Quilibet custos angelus similis videtur angelo illi ad reges Magos a Deo misso,

qui eos docuit, ut, adorato Salvatore, per aliam viam redirent in regionem suam; quilibet enim custos angelus clientem suum docet, ut Christum adoret, peccati viam relinquit, et per aliam, seu per virtutis viam ad æternam paradisi patriam pergit. Custodes iidem angelii superbis viam humilitatis, avaris viam charitatis, omnibusque hominibus perfectionis et salutis viam inspirant, et ad hæc quæ inspirant adimplenda monent et sollicitant: *non cessant solicitare et assiduis suggestionibus monere* (S. Beruar. serm. 30 in Cant.). Cum Petrus catenis vinclitus in carcere detineretur, misit Deus angelum suum, qui coelesti lumine totum illustravit carcerem, in quo vinclitus dormiebat apostolus, dixitque ei, ut fugeret: *ecce angelus astitit, et lumen resulfit in habitaculo, percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens: surge velociter* (Act. 12). Idem accidere solet quilibet peccatori; quandiu enim homo in statu mortalis peccati vivit, tetrus criminum suorum catenis constringitur: *funes peccatorum circumplexi sunt me* (Psalm. 118). Hic etiam in peccatis suis dormit: *exurge, qui dormis*. Jamvero angelus custos peccatorum internis inspirationibus illuminat, eumque ad surgendum a peccato excitat; et, ut loquitur doctor Seraphicus, *angelus custos peccatori, vinculis peccati compedito, in tenebris obnubilato, infundit aliquem radium sue illuminationis et dicit ei: surge velociter* (serm. de S. Michaële). Idem Seraphicus Bonaventura ait, quod angelus custos, ut clientis sui Doctor, eum sic alloquatur (Ibid.): «*surge, miser, et considera ubi jaces, quomodo corruptisti tuam naturam, defecasti pulchritudinem tuam, qua eras ad imaginem pulchritudinis æternæ factus; nam repulisti a te Spiritum sanctum, factus es de monum postribulum, privasti te æternis præmis, obligasti te æternis suppliciis: surge igitur et redi ad penitentiam*». O mirabilem Doctorem, qui peccatores do agendis et vitandis mirabiliter erudit! Quando Agar fugiebat a facie Saræ dominæ suæ, occurrit ei angelus, qui eam hortatus est, ut ad dominam suam revertetur: *revertere ad dominam tuam* (Gen. 16). Eodem modo se habet custos angelus erga clientem, qui a Deo per peccata recessit; angelus enim

eum intus illuminat et erudit; ei peccati sui gravitatem revelat, illumque sollicitat ad resurgentum a peccato et ad revertendum ad Dominum, a quo discesserat; ei intus dicit angelus: *revertere ad dominam tuam, converte te ad divinam sapientiam* (D. Bonav. ibid.). Cum homo per peccata sua a Deo fugit, angelus custos, ut predictor et doctor, eum erudit, eique intus dicit: «*exurge qui dormis; vide, miser, quanta sit iniqüitas tua; quanta sit malitia tua, quantave turpitudine tua.* Considera, quis sit ille quem offendisti, quod sit bonum quod perdidisti, quodve sit malum quod contraxisti. Attende tibi misero et infelici, respice mortem quam accelerat, iudicium quod appropinquat et infernum qui te expectat, si pravam tuam non derelinquas viam et si a peccato non resurgas. Quare, *ne tardes converti ad Dominum, sed celeriter revertere ad dominam tuam, converte te ad dicinam sapientiam*» (Ibid.). O eximium Doctorem! O quam mirabiliter peccatores erudit! Insuper angeli custodes erudiant etiam homines justos; eos enim patientiam, benignitatem, charitatem et omnes virtutes docent: eorumque mentes ad divina mysteria percipienda elevant: *elecant mentem nostram et inflammant ad amorem eternorum* (Ibid.). Certum est, quod angeli custodes maxime sollicitos se habeant de salute clientium suorum: *nunquam quiescunt angelii in opere salutis nostre: nimur quia optime norunt, quanta res sit in eternum damnari* (D. Ber. serm. 29 in Cant.). Hi pro nostra laborant salute, tum precibus quas pro nobis Deo offerunt, tum peccandi occasionibus, quas a nobis avertunt. Et pro nostra potissimum laborant salute, erudiendo nos interius de vitandis et de agendis, nosque docendo viam salutis et perfectionis; unde quilibet custos angelus respectu alumni sui facere videtur, quod fecit angelus respectu sancti Joannis Evangelistæ, quem angelus in altum sustulit et cui idem angelus paradisi gloriam ostendit: *sustulit, inquit, me angelus in spiritu in montem magnum et altum et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem* (Apoc. 21). Quilibet enim angelus clientem suum tollit in altum, illumque erudit interius, ut ad montem Dei et ad civitatem sanctam Jerusalem eum dirigat et perducat: quilibet

erga sum clientem est doctor solicitus, qui eum intus docet, quæ agenda et quæ vitanda, ut ad excelsum cceli montem pervenire valeat. Illos quidem non videmus doctores: at illos intus loquentes auditimus. O quoties audisti angelum tuum intus te monentem, ad bene operandum te excitantem; teque de agentis et vitandis erudientes! Quoties audisti eum tibi loquentem ad cor, tibique dicentes: declina ab hoc et illo peccato, cui addiceres: hanc et illam fuge occasiōnem, quæ te ad prava trahit: huic et illi virtuti comparandæ sedulo incumbe! Quoties illum audisti, dicentem tibi: terrena despice, carnalia fuge, spiritualia dilige et ad æterna indesinenter aspira! Certe angelos intus nos docentes sœpe audimus; tamen tanta est nostra infirmitas, vel potius tanta nostra malitia, ut tam beneficos doctores, eorumque monita et consilia parvipendamus, ac pro nihilo habeamus. O quam bonus Israël Deus qui tanti meriti doctores ad nos erudiendos mittere dignatur! vicissim o quam iniqui homines, qui horum doctorum monita abiciunt, inspirationes despiciunt et doctrinam parvipendunt! Erubescere, frater, eo quod nullum, aut paucissimum ex tantorum doctorum monitis, consilii et eruditioñibus emolumenatum perceperis: simplex a Deo veniam postula, eo quod tantis tibi ab eo datis salutis doctoribus non obtemperaveris: ac in posterum hos doctores honora et ea quæ te docebunt adimple; in posterum reddere quod debes angelis custodibus, qui sunt doctores a quibus eruditur: *et qui sunt etiam protectores, qui nos adversus dæmones defendunt et ab iis tuentur.*

II PARS.

Angeli custodes sunt protectores, qui nos tuentur.

Tanta dæmones adversus nos scatent malitia, ut tartarei illi spiritus in reproba sua republica decreverint, cuilibet homini in hoc mundo viventi, dandum dæmonem tentatorem, qui ejus ruinam moliat, omnibusque modis eum ad peccatum et ad

infernum trahere conetur: *suggessimus*, inquit Tertullianus, *nullum hominum carere dæmonio* (lib. de an.). Deus autem mirabilis sua providentia angelo angelum, seu angelo tenebrarum angelum lucis opposuit. Et sicut diabolica res publica dæmones tentatores contra nos destinavit, ita Deus custodes nobis dedit angelos, qui tamquam athletas fortissimi a tartareis illis spiritibus nos protegant, ac ab eorum adversum nos machinationibus defendant et tuantur. Unde a Sophronio custodes angelii vocantur *conservatores, defensores et decertatores* (orat. de excel. angel.), quia scilicet pro nobis decertant, nosque ab immani dæmonum rabie protegunt et defendunt. Scio, specialiter adversus dæmones datum potestatem iis angelis, qui *potestates* vocantur: *potestates sunt angeli, quorum dicti virtutes adverse subiecta sunt* (S. Gregor. hom. 34 in Evang.). Tamen et ipsi angeli custodes potestatem habent adversus dæmones, eosque coērcere possunt, ne hominibus noceant. Deus, inquit Augustinus, *subdit angelos malos angelis bonis, ut maiorum improbitas, non quantum nittitur, sed quantum sintur, possit* (de Gen. ad lit. 1, 22). Et author operis imperfecti asserit, tantam esse angeli custodis in dæmones potestatem, *ut in praesentia boni angeli, si se a dæmonibus videri permittat, non audeant dæmones tentare homines* (hom. 5 in Matth.). Hac quidem sibi a Deo data in dæmones potestate non semper et in omnibus casibus utuntur custodes angelii, tantum quando et quomodo a Deo statutum neverint. Custodes enim angeli sunt sapientiae divinae ministri, ac proinde potestate sibi in dæmones tradita utuntur juxta Dei placitum, eosque arcent, quantum sapientia divina arcendo iudicat et non amplius: unde sicut divina sapientia aliqua mala ab hominibus fieri permittit propter bona, quæ inde elicunt, ita et permittit, ut boni angeli non semper dæmones colibant a nocendo, nec homines totaliter a dæmonum tentationibus et aggressionibus liberarent. Etsi vero custodes angelii potestate sua in dæmones non ita utantur, ut eos semper impediant, ne ulla modo nobis noceant, ea tamen sic utuntur, et ita adversus dæmones nos protegunt, ut tartarei illi spiritus in rebus salutis nusquam nobis

nocere possint, nisi ipsi velimus: *hi sunt nostri custodes et protectores, qui semper et ubique nobis assistunt, nec nos patiuntur laedi, nisi velimus* (D. Bonav. ibid.). Sieut angelus Tobias dæmonem, nomine Asmodeum, qui Saræ viros interficiebat, alligavit in deserto superioris Aegypti, ita et custodes angelii alligant dæmones, illosque ita coērcent, inquit Doctor Seraphicus, *ut nobis nocere non possint, nisi velimus*. Et hac sententia dixit Tertullianus, quod *potestas dæmonis subjecta sit homini* (Apol. 15); dæmonis enim potestas homini subjicitur, quia ab angelis custodibus ita ligantur et arcentur dæmones, ut nullo modo hominibus in rebus salutis nocere possint, nisi ipsi velint: quod p̄eclare explicat D. Augustinus familiariter similitudine canis ad palum alligati. Sieut enim canis ad palum alligatus, quantumvis mordax et rabidus, nullum mordere potest, nisi volentem, sic dæmon ita alligatur et arceretur ab angelis custodibus, ut velut canis, latrare possit, mordere tamen et ad peccatum nos cogere non possit, nisi ipsi velimus: *latrare potest, mordere non potest, nisi volentem*. O quam mirabiliter angeli custodes nos a dæmonibus protegunt et defendunt! cum ita illorum malitiam coēreant, ut nobis nocere nequeant, nisi ipsi velimus. Preterea sic nos a dæmonibus defendunt, ut mediante angelorum auxilio, iis illudere possimus. Dæmon est draco tartareus, cuius in homines malitia tanta est, ut eos semper vorare et flatu suo, seu malignis inspirationibus ad prava trahere et enecare contendat. Jamvero quantumvis magna sit draconis illius malitia, quantumvis malignus et pestilens ejus flatus, quantumvis etiam nos potestate et fortitudine superet, ab illo nos protegunt et defendunt angelii nostri custodes, ut ei illudere possimus. Hic est draco, quem formavit Deus, non ut nobis illuderet et de nobis triumpharet, imo ut nos ei illuderemus: *draco iste, quem formasti ad illudendum ei* (Ps. 103); eique revera, tamquam avicula, illudimus, si velimus, non ex solis viribus nostris, sed mediante angelorum patrocinio: quodque majori adhuc admiratione dignum videtur, non solum dæmoni illudere, etiam eum dejicere et quasi conculcare possumus. Dæmon in Sacra Scriptura quandoque vocatur

draco, quandoque aspis, basiliscus et leo. Dicitur *aspis* propter calliditatem, quia occulte laedit; vocatur *basiliscus* propter venena, que infundit; appellatur *leo* propter fortitudinem qua pollet, et quia in homines rugit eosque vorare contendit: *tamquam leo rugiens circuit, querens quem devoret*. Terribilis quidem ille aspis, formidans ille basiliscus, immanis ille leo; attamen mediante angelorum auxilio super hanc aspidem ambulare, hunc basiliscum conterere et hunc leonem conculcare, seu in illum autoritatem habere possumus, ita ut nec in minimo nobis nocere queat: et ut nullum hac de re dubium remaneat, regnum audite Vatem: *angelis suis*, inquit, *Deus mandavit de te, ut custodian te in omnibus ciis tuis*; et mox subjungit: *super aspidem et basiliscum ambulare, et conculcabis leonem et draconem*. Quasi dicat, mediante angelorum custodia, super dæmonem qui malitia sua aspis, basiliscus, leo et draco dicitur, incedes, eumque conculcas, seu in eum autoritatem habebis, ita ut in rebus salutis tibi nullo modo nocere possit, nisi velis. Contra malignos illos daemones, contra hostes tam feroces, tamque potentes, humano fragilitas stare non posset, nisi adjutores, propugnatores et protectores angelos ei Deus providisset; mediante angelorum auxilio, homo quantumvis fragilis, debilis et infirmus, de formidandis illis hostibus triumpfare potest; imo et eis illudere, eosque quasi conculcare, quia angeli custodes ita nos ab iis defendunt, ut nocere nequeant, nisi velimus. Gratias ergo agamus Deo, qui tales nobis protectores et defensores dare dignatus est; gratias etiam agamus ipsis angelis, qui millies a dæmonum insidiis et machinationibus nos defenderunt, et de iis triumphare fecerunt, eosque supplices rogemus ut in tentationibus nos semper adversus dæmones protegant et defendant. Hæc ab iis gratia singulis diebus est petenda, tum præcipue cum gravis aliqua urget tentatio: *quoties gravissima cernitur urgere tentatio, tribulatio vehementer immovere, invoca custodem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum, et dic: Domine, salva nos, perimus* (D. Bern. ser. ix in Psal. *Qui habitat*). Sic invokeat custodes angelos, qui sunt protectores, qui

nos a daemonibus defendunt: *et qui sunt etiam advocati, qui apud Deum pro nobis orant et salutis nostræ negotia agunt*.

III PARS.

Angeli custodes sunt advocati, qui apud Deum pro nobis patrocinantur.

Unicunque datur angelus custos, qui alumnus sibi commissum ab ipso conceptionis instanti usque ad extremum vitæ terminum non derelinquit. Et licet homo graviter peccet, peccata multiplicet, ac multifariam adversus ipsum custodem angelum se ingratus exhibeat, ab eo tamen nunquam deseritur: *non dimittet eum peccaveris* (Exod. 13). Sicut enim demon non relinquit hominem justum ob bona opera, que perficit, ita et bonus angelus clientem suum nunquam deserit, quantumvis peccet et in ipsum custodem ingratus sit: imo, quo major est nostra erga custodes angelos ingratitudo, eo major eorum in nos videtur esse solicitudo: *quotidie*, inquit Petrus Damianus, *angeli ad nostram custodiā deputatos multipliciter offendimus et offensam negligentia cumulamus. Ipsi autem licet a nobis frequenter injurias patiantur, sustinent tamen et compatiuntur peccantibus. Nec minor illorum circa nos custodia, imo major solicitude, cum boni custodis sit, infirmis magis, quam sanis operam exhibere* (serm. 5 de exalt. S. Cruc.). Medicus, qui ex charitatis motivo operatur, non irascitur adversus infirmum phreneticum, qui ei conviciatur, qui ejus spernit consilia, remedia despicit et personam parvipendit; quin contra spiritu compassionis ductus major cum sollicitudine sanitati ejus invigilat. Eodem prorsus modo erga nos se gerunt custodes angelii; postquam enim multas a nobis passi sunt repulsas et ingratitudines, saluti nostræ maxima solertia invigilant: *injurias quas eis quotidie inferimus, dum custodiae eorum refragamur, patienter sustinent, nec læsi*

nos laedunt: imo mitius compatiuntur nobis, et tamquam medici majorem solitudinem infirmis impendunt (Petr. Bles. in serm.). Magna haec angelorum custodum in clientes suos solicitude appareat in hoc mundo et in celo: *in hoc mundo*, ubi clientes comitantur, a dæmonibus defendunt, a peccandi occasionibus avertunt et viam salutis docent: *in celo*, ubi Deum pro clientibus orant et ut advocati peritissimi iis apud Deum patrocinantur. Sicut in scala Jacob visi sunt angeli ascendentes et descendentes, ita et custodes angeli a celo descendant, et ad coelum ascendunt: *descendant*, ut nos custodiant, protegant, defendant, sive inspirationibus nos a malo avertant et ad bene operandum inducent: *ascendunt*, ut apud Deum salutis nostræ negotia peragant, nobisque patrocinentur. Et revera nobis apud Deum patrocinantur l. pro nobis Deum orando; 2. bona nostra opera, precessu nostras ei offerendo.

1. Quamdiu in hoc mundo moraram, exules sumus et a facie Dei exclusi, ita ut facilis ad Deum nobis haud pateat accessus; ideo potenti et vigilanti aliquo egenus patrono, qui apud Deum salutis nostræ negotium agat et pro nobis oret. Hoc autem beneficium nobis impendunt custodes angeli, qui ardenter pro nobis Deum orant, sive inspirationibus salutem nobis procurare conantur. Tales angeli, inquit Augustinus, magna cura adsunt nobis omnibus horis et locis, subvenientes necessitatibus nostris et pro nobis Deum orantes. Orant pro nobis Deum custodes angeli: rogant eum ut nobis largiatur humilitatem, patientiam, benignitatem, charitatem et omnia quæ ad salutem nobis necessaria norunt. Et ut a Deo impetrant, ea petunt in nomine Christi, qui pro nobis pati et mori dignatus est: *rogant pro genere humano in nomine Christi*, inquit Chrysostomus: *quasi dicant; pro his, Domine, rogamus, quos tu a deo dilexisti, ut pro eorum salute mortem obires et animam in cruce efflares; pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem; pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti*. Sic Deo loquuntur illi advocati, pro nobis illum orantes. Ad hæc custodes angeli sunt etiam advocati nostri apud Deum qui preces nostras et omnia bona opera

quæ facimus, illi offerunt, ut eum nobis propitium reddant.

2. Hoc advocati munus angelos nobis præstare docet S. Vincentius Ferrerius: *advocantur, inquit, pro nobis presentando Deo bona quæ facimus, ut orationes, jejunia et alias asperitates penitentiales quæ multum placent Deo* (Vincent. ibid.). Idem aliis verbis dicit Doctor Seraphicus: *angeli, ait, in conspectu Dei perforant omnia bona nostra opera, non quod Deus, quem nullum latet secretum, ea non noverit, sed quia Deus vult, et ita ordinavit, ut ea, quæ ipse novit et amat, narrant, laudent et prædicent; ideo fortassis ut opera nostra sint in conspectu ejus accepta*. De Cornelio viro religioso et Deum timente habetur in Actibus Apostolorum, quod dixerit ei angelus: *Corneli, orationes tue et eleemosynæ ascenderunt in conspectu Dei* (Act. 10). Quomodo ascenderunt? Angelorum ministerio, qui orationes eleemosynas, jejunita, omniaque alia bona nostra opera Deo offerunt: *angeli custodes*, ait Petrus Cellensis, *omnia bona opera nostra Deo præsentant* (lib. I de tabern.). Addit Augustinus, angelos Deo preces et omnia bona opera nostra offerre, ut illum nobis propitium reddant: *angeli genitus nostros, atque suspiria referunt ad Deum, non quidem quia Deus illa ignoret, sed ut impetrant nobis faciliem sua benignitatem propitiacionem* (Sol. 27). Angeli, ut advocati de salute nostra plurimum solliciti, orationes nostras suis jungi optant, et quasi orationes eorum non sint satis efficaces ad obtinendum nobis a Deo gratiam et misericordiam, ad eum nostras etiam preces deferre et offerre cupiunt, ut medianteibus illis eum nobis propitium reddant; *nostras preces ad aures Dei adducunt*, ait Anastasius Nyssenus, *ut eum propitium reddant* (apud Suar. de Angel., 6, 19): nec tantum preces, etiam reliqua bona nostra opera Deo offerunt, ut eum ad nobis propitiandum inclinent; ipsumque suppliciter deprecantur, ut nobis qui has et alias preces fudimus et qui hæc et alia bona opera perfecimus, indulgere et salutis gratiam concedere dignetur. O mirabiles advocati, qui apud Deum et verbis et factis nobis patrocinantur! o quam felices sumus, quod tales

in celo patronos habeamus! Ideo o quam sedulo orare et bonis operibus incumbere debemus, cum hi et preces, et omnia bona nostra opera Deo offerant, ut illum nobis propitium reddant, atque apud eum salutis nostræ causam gerant! *Multum sane conari et satagere debemus ad bona opera facienda, cum tales advocatos habeamus, qui statim ea referunt in conspectu Dei et scribunt in libro vite* (D. Bon., ibid.). O homo, quod potest manus tua instanter operare: ne turpi otio indulges; operibus vanis et ad salutem nil pertinentibus ne te dedas; omnia opera mala et ipsa quæ mali speciem habent, solicite devita; quidquid boni facere poterit manus tua instanter operare, operibus bonis sedulo incumbe; et custos angelus tamquam advocatus beneficis, omnia tua bona opera Deo præsentabit, ut te in libro vite scribi curet. Faxit Deus, ut omnes in hoc libro scribi et æterna beatitudine post mortem donari mereamur. Amen.

DE B. V. MARIAE ROSARIO

CONCIO UNICA.

Dies victoriae hujus festivitatis in numero sanctorum dierum accipitur (Judith. 16).

Maria simul cum Christo filio suo pacis bellique regina constituitur; *pacis* utique, quia simul cum illo ad pacem universo generi humano afferendam non parum contulit; *belli* vero, quia de haereticis, infidelibus, dæmonibus et omnibus christiani nominis hostibus persepe triumphavit. Mariam omni tempore, ut pacis reginam colere debent fideles; speciatim vero sancta nos admonet ac jubet Ecclesia, ut illam sive velut bellorum triumphorumque reginam veneremur. Hodie enim Virgo, sicuti altera Judith, fecit confusionem magnam, non in domo regis Nabucho-

dono sor, sed in toto Turcarum imperio: hæc est dies solemnis, in qua a dira servitute præservavit, non Bethulæ cives, verum sanctæ Romanae Ecclesiæ filios: hodie tandem Maria precibus sodalium Confraternitatis Rosarii ad misericordiam inclinata, non de Olopherne, sed de Turcis apud Lepantum gloriose triumphavit. Et ideo summus Pontifex Gregorius XIII præcepit, ut hac die Rosarii et victoriarum Mariæ solemnitas simul celebraretur: *dies victoriae hujus festivitatis in numero sanctorum dierum accipitur*. Gloriosam hanc victoriam Mariæ meritis de infidelibus latam universa demirata est terra; hanc et nos admireremur, atque itidem panegyricam concionem instituamus de beatæ Marie Virginis Rosario, quo Maria ad decertandum adversus infideles inclinata perhibetur. Ace.

De Rosario dicturus, adverto, quod Rosarii nomen diversa significet, et quid aquivoicu sonet; nam sepe Rosarium pro oratione quadam vocali, aliquando pro mysterio et quandoque pro Confraternitate sumitur. Rosarium revera est oratio quedam vocalis, oratione dominica, salutatione angelica et oratiuncula ab Ecclesia instituta plures repetitis constans: *est etiam mysterium*, præcipua vita et mortis Christi continens mysteria, que fideles Rosarium vocaliter recitantes, meditantur: *est tandem Confraternitas*, quæ a Fratrum Praedicatorum patriarcha sancto Dominico instituta creditur, et que longe commendabilior tunc evasit, cum orantibus per totum terrarum orbem Confraternitatis Rosarii sodalibus, beatissimæ Virginis meritis apud Lepantum gloriosam de Turcis victoriam fideles reportarunt. Ex jam dictis videtur, quod beatissimæ Virginis Rosarium triplicem habeat respectum: ad Mariam, scilicet, ad Christum et ad S. Dominicum: *ad Marianum* quia est oratio, quæ maxime honoratur; *ad Christum*, quia est mysterium, quo præcipue et vita et mortis ejus actiones recoluntur; *ad sanctum Dominicum*, qui auctoritate Ecclesiæ Rosarium in statum et in Confraternitatem instituit, in qua Christum et Mariam fideles specialiter venerarentur. Rosarium ergo nunc ut orationem vocalem, ut mysterium et ut Confraternitatem inspicio, ac dico, quod Rosarium l. est ora-